

ad Hefychium (epist. 2. in ord. est 53.) Vel aliter. Omnia que à tribus Evangelistis dicta sunt de Domini adventu, diligentius inter se collata, atque discussa fortasse inveniuntur ad hoc pertinere quod quotidie venit in corpore suo, quod est Ecclesia, exceptis his locis ubi ille aduentus ultimus ita promittitur ut propinquare dicatur. (1) ut in ultimo sermonis secundum Matthæum ipse aduentus evidenter exprimitur, ubi dicitur cap. 25. „Cum venerit Filius hominis, minis in maiestate sua. Quid enim est, Cum videritis hæc fieri? nisi ea quæ supra dixit, in quibus est etiam id quod ait, Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus. Non itaque tunc erit finis, sed tunc erit in proximo. An dicendum est non omnia quæ supra commemorata sunt, esse intelligenda, sed aliqua eorum, hoc videlicet excepto quod dictum est, Et tunc videbunt Filium hominis venientem? Ipse quippe finis erit, non tunc proximus erit. Sed Matthæus aperuit nullis exceptis esse accipiendum, dicens: „Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. Intelligitur ergo quod supra dictum est sic. Et mittet Angelos suos de quatuor mundi partibus; id est, de toto orbe terrarum congregabit electos suos; quæ tota hora novissima facit veniens in suis membris tantquam in nubibus. Beda (ubi supra.) Potest autem hæc fructificatio fici mystice intelligi super statu synagogæ, quæ veniente ad se Domino, quia fructum iustitiæ non habebat in eis qui tunc increduli erant, æterna sterilitate damnata est. Sed quoniam dixit Apostolus Rom. 10. quod „cum plenitudo Gentium intraverit, omnis Israel salvus erit: quid est hoc nisi quod diu sterilis arbor sicut fructum quem negaverat reddet? Quod ubi factum fuerit, ætatem veræ pacis esse in proximo non ambiges. Hieronymus (Mare. 13. à medio Comment.) Vel folia fici nata, verba sunt præsentia; ætatis proxima, dies est iudicii; in qua unaquæque arbor (2) manifestabit quæ intus habuit, aridum ad comburendum, an viride ad plantandum cum ligno vitæ.

Sequitur Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec ista omnia fiant. Beda (super Non transibit generatio hæc.) Nominis generationis aut omne hominum significat genus, aut specialiter Judæorum. Theophylactus (ibidem.) Vel aliter. Non transibit generatio hæc, scilicet Christianorum, donec omnia fiant, quæ circa Hierusalem, & Antichristi adventum dicta sunt. Non enim dicit generationem Apostolorum: quia major pars Apostolorum

non pervenit usque ad Hierusalem consummationem. Dicit autem hoc de generatione Christianorum, volens discipulos consolari: ne crederent quod in illis temporibus fides deficeret: prius enim elementa immobilia deficient, quam verba Christi: unde subditur: Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt. Beda (ibidem.) Cælum quod transibit, non æthereum, sive sidereum, sed æreum intelligere debemus. Quocumque enim pervenire potuit aqua diluvii, eo, juxta beati Petri sententiam, ignis iudicii perveniet. Transient autem cælum, & terra per eam quam nunc habent imaginem, attamen per essentiam sine fine subsistent.

(g) Theophylactus (super De die autem illa nemo scit.) Volens Dominus discipulos impedire ab interrogatione illius diei, & horæ, dixit: De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater. Si enim dixisset, quia (3) scio, tamen nolo vobis revelare: ipsos non modicum contristasset. Nunc vero sapientius egit, & ipsos (4) excludit ab huiusmodi interrogatione, ne ei molesti fierent, in hoc quod dixit: Neque Angeli sciant, neque ego. (5) Hieronymus Lib. 9. de Trinitate (non longe à fine.) Ignoratio autem diei atque horæ obicitur uni-genito Deo, ut Deus ex Deo natus non sit in ea naturæ perfectione qua Deus est. Sed primum sensu communis iudicii sentiendum est, an credibile esse possit ut aliquid ex omnibus nesciat qui omnibus ad id quod sunt atque erunt, auctor est. Quomodo enim extra ejus naturæ scientiam est per quam, & in qua id quod efficiendum sit continetur? Hanc autem ille diem ignorat, quæ adventus sui dies est? Humane naturæ quod agere diffiniunt, quantum in se est, præcipient, & sequitur (6) gerendi cognitio voluntatem agendi. Quomodo ergo Dominus gloriæ adventus sui ignorata die, naturæ esse imperfectæ creditur, quæ & necessitatem habeat adveniendi, & scientiam adventus sui non adepta sit? Jam vero quanta impietatis geminatur occasio, si Deo Patri deputabitur (7) indignitatis affectus, si ei ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis induxerit præsentiam? Quod si in eo omnes scientiæ thesauri sunt, diem hunc non ignorat. Sed meminisse nos convenit occultos in eo scientiæ thesauros esse. Ignoratio igitur ejus est secundam quod thesauri scientiæ in eo latent. In omnibus enim quæ Deus ignorare se loquitur, ignorantiam non demeruit, sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio non agendi. Si autem tunc cognovisset Deus dicitur quod Abraham eum amaverit, cum hoc

(1) Al. & quod in ultimo &c. (2) Al. manifestavit. (3) Al. nescio. (4) Al. excludit interrogatione. (5) Al. Augustinus. (6) Al. gerendorum, (7) Nicolai legit malignitatis.

non celavit Abraham, necesse est ut & Pater ob id diem scire dicatur, quia non celaverit Filio. Si itaque diem Filius nescit, sacramentum est ut taceat; è contrario Pater solus ostenditur scire, quia non tacet. Absit autem corporalium mutationum novitates in Patre, & Filio existimari. Denique ne per infirmitatem ignorare dicatur, continuo subiecit: Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Hieronymus (super Vigilare, & orate.) Vigilia enim opus est mentis ante mortem corporis. Theophylactus (par. ante finem Comm.) Docet autem vigilare, & orare, duo hæc: multi namque vigilamus, sed noctes ducentes in privitates. Ad hoc autem consequenter similitudinem inducit, dicens: Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cuiusque operis, & janitori præcepit ut vigilet. Beda (ante finem Comm.) Homo qui peregre profectus reliquit domum suam, Christus est, qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens, Ecclesiam corporaliter reliquit, quam tamen nunquam divina præsentia præsidio destituit. Gregorius in hom. 9. in Evang. Carnis etenim locus proprie terra est, quæ velut ad peregrinandum ducta est, cum per Redemptorem nostrum est in cælis collocata. Dedit autem servis suis potestatem cuiusque operis, quia fidelibus suis concessa Sancti Spiritus gratia, facultatem tribuit bonis operibus serviendi. Janitori quoque præcepit ut vigilaret: quia ordini pastorum commissæ sibi Ecclesiæ curam jubet impendere. Non solum autem rectores Ecclesiæ, sed omnes vigilare præcipiuntur, januas cordium custodientes, ne antiqui hostis mala suggestio subintret, ne nos Dominus dormientes inveniat. Unde ex hac similitudine concludens subdit: Vigilare ergo: nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit inveniat vos dormientes. Hieronymus (par. à fine Comment.) Nam qui dormit, non corpora vera, sed phantasmata

intendit, & vacuus vigilat de his quæ videntur. Sic nimirum (1) sunt quos mundi amor rapit in vita, qui deserunt post vitam quod somnabant pro certo. Theophylactus. Vide autem quia non dixit, Nescio quando tempus erit, sed Nescitis. Propter hoc enim hoc oculoavit, quia nobis expediebat: nam si nunc ignorantes finem non curamus, quid faceremus, si finem sciremus? malitia namque nostras differemus usque ad ultimum. Attendamus etiam dictiones, sero namque finis existit, cum quis moritur in senectute; media nocte, cum quis moritur in medio juventutis; galli cantu vero, cum ratio completur in nobis. Cum enim incipit puer secundum rationem vivere, tunc gallus in eo vociferatur, excitans a somno sensualitatis; mane autem, puerilis est ætas. Oportet enim omnes istos finem præscire: nam si puerio cavepndum ne imbaptizatus pertranseat. Hieronymus (in fine Comm. in 13. cap. Marc.) Hoc autem sine concludit sermonem, ut commone omnium præceptum novissimi per primos audiant: unde subdit: Quod autem vobis dico: omnis dies vigilate. Augustinus ad Hefychium (epist. 80.) Non solum enim illis dixit quibus tunc addientibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerunt post illos ante nos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos usque ad novissimum ejus adventum. Numquid autem omnes inventurus est dies ille in hac vita, aut quisquam dicitur est, quod ad defunctos etiam pertineat quod ait: Vigilare, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes? Cur itaque omnibus dicit quod ad eos solos pertinet qui tunc erunt, nisi quia ad omnes pertinet, quomodo dixi? Tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ejus dies, ut talis hinc exeat qualis est iudicandus illo die; ac per hoc, vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Dominus adventus. Imparatum autem inveniet dies ille quem imparatum inveniet suæ vitæ hujus ultimus dies.

(1) Al. sunt quos qui mundi amor rapit in vita, deserunt &c.

(a) ERat autem pascha, & azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes, & scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant enim: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

(b) Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistilli preiosi; & fracto alabastro, effudit super caput ejus. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentum istud venditari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobis-

S. Thom. Op. Tom. VIII.

cum; & cum volueritis, poteritis illis benefacere; me autem non semper habebitis. Quod habuit, hæc fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoria ejus.

(c) Et Judas Ischariotes unum de duodecim abiit ad summum sacerdotem, ut prodere eum illis: qui audientes gavisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se duros. Et quærebatur quomodo illum opportune traderet.

(d) Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans: sequimini eum; & quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt pascha.

(e) Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singularim, Numquid ego? Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit; sicut scriptum est de eo: vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

(f) Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite: hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis; & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quod jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

(g) Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hæc, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

(h) Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani; & ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum; & cœpit pavere, & tædere; & ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate. Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora: & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, & invenit eos dormientes; & ait Petro: Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et iterum abiens oravit, eundem sermonem dicens. Et reversus denno, invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite. Sufficit. Venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope est.

(i) Et adhuc eo loquente venit Judas Ischariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis, & lignis, missi à summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus. Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi; & osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum. Unus autem de circumstantibus educens gladium percussit servum summi sacerdotis, & amputavit illi auriculam. Et respondens Jesus ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me? Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis: sed ut impleantur Scripturæ. Tunc discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Adolecens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo; & tenuerunt eum: at ille relinca sindone, nudus profugit ab eis.

(k) Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem, & convenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores. Petrus autem à longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. Summi vero sacerdotes, & omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent; nec inveniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum, &

con-

convenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicens: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum.

(l) Exurgens autem summus sacerdos in medium interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursus summus sacerdos interrogabat eum, & dixit: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum: & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cadere, & dicere ei, Prophetiza. Et ministri alapis eum cadebant.

(m) Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait: Et tu cum Jesu Nazareno cras? At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui altabat dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit. & recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus canter bis, ter me negabis: & cœpit flere.

(a) **H**ieronymus (in prin. Comm. in cap. 14.) Nunc aspergamus librum nostrum de sanguine, & limina domorum, & funem coecineum circumdemus domui orationis nostræ, & coecum in manu nostra (1) ut Zaram ligemus, ut vaccam rutam in valle occisam enarrare possimus. De Christi enim occisione narratur Evangelista præmittit: *Erat autem pascha: & azyma post biduum.* *Beda* (in prin. Comm. in 14. cap. Mar.) Pascha, quod Hebraice dicitur phasæ, non à passione, ut plerique arbitrantur, sed à transitu nominatur; eo quod exterminator videns sanguinem in sorsibus Israëitarum, pertuasierat, nec percussit eos: vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo, desuper ambulavit. *Hieronymus.* (paul. à princ. Comm. in 14. cap.) Vel (2) phasæ transitus interpretatur, pascha vero immolatio. In immolatione agni, & transitu populi per mare; vel Ægyptum, (3) præfiguratur passio Christi, & redemptio populi de inferno, quando nos post biduum visitat, idest plenissima luna, ætate Christi perfecta, ut nec cum aliqua parte tenebrosa carnes agni immaculati, qui tollit peccata mundi, in una domo, quæ est Ecclesia catholica, calcæati caritate, & armati virtute comedamus. *Beda* (cap. 63. in Mar.) Hoc autem, juxta veteris (4) testamenti Scripturam, inter pascha & azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur, in quo (5) agnus occidebatur ad vesperam, hoc est quattadecima luna mensis primi; decimaquinta autem luna, quan-

do egressum est de Ægypto, succedebat festivitas azymorum, quæ septem diebus, idest usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis ad vesperam est statuta solemnitas. Verum Evangelista indifferenter et diem azymorum pro pascha, & pro diebus azymorum pascha ponere solent: unde & Marcus hic dicit: *Erat autem pascha: & azyma post biduum.* quia & paschæ dies in azymis panibus est celebrari præceptus; & nos quasi pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo tranfire præcipimur. *Hieronymus* (super *Et quærebant summi sacerdotes.*) Principibus autem egressa est iniquitas in Babylone, qui templum, & vasa, & se purificare secundum legem ad esum agni deberant: unde sequitur: *Et quærebant summi sacerdotes, & scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.* Occiso autem capite totum corpus enerve efficitur, unde miseri faciunt quod caput moriatur. Vivant autem diem festum, (6) quod convenit illis: non enim est festivitas his qui vitam, & misericordiam perdididerunt: unde sequitur: *Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* *Beda* (super *Non in die festo.*) Non quidem merentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat, sed caventes: ne auxilio populi de suis manibus tolleretur. *Theophylactus* (in prin. Commem.) Ipse tamen Christus tempus sibi constituerat passionis: voluit enim in paschate crucifigi, quia ipse verum erat pascha.

(b) *Beda* (super *Et cum esset Bethania.*)

(1) *Al.* ut & aræ. (2) *Al.* Vel pascha transitus interpretatur, phasæ vero immolatio. De immolatione &c. (3) *Al.* præfiguratur autem. (4) *Al.* instrumenti. (5) *Al.* deest agnus. (6) *Al.* qui evenit.

Passurus Dominus pro toto mundo, & universas nationes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania, idest in domo obedientiae: unde dicitur: *Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier. Hieronymus (super Querebant summi sacerdotes.)* Hinnulus enim quereborum semper ad lectum suum redit, idest Filius Patri obediens usque ad mortem, à nobis obedientiam perit. *Beda (cap. 43. super In domo Simonis.)* Dicit autem, *Simonis leprosi*, non quod leprosus illo tempore permaneret, sed quod antea leprosus, postea à Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. *Theophylactus (paulo post princ. Commen.)* Quamvis autem quatuor Evangelistae unguentum mulieris commemorant; non est tamen una, sed duae: una quidem quae describitur à Joanne, quae soror est Lazari, quae scilicet ante sex dies paschae unxit pedes Jesu; alia vero quae à reliquis tribus Evangelistis describitur. Adhuc autem si attendas, invenies has tres esse. A Joanne enim una describitur, altera vero à Luca, à duobus vero reliquis altera. Quae enim à Luca describitur meretrix esse, dicitur in medio praedicationis tempore ad Jesum venisse. Haec vero quae à Matthaeo, & Marco describitur, dicitur in tempore passionis venisse, (1) non consistentem se peccatricem. *Augustinus de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 75.)* Ego autem nihil aliud intelligendum arbitror nisi quod non aliam quidem fuisse mulierem quae peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, sed eandem Mariam bis hoc fecisse: semel scilicet quod Lucas narravit, cum primo accedens cum humilitate, & lacrymis, meruit peccatorum remissionem: nam & hoc Joannes commemoravit, cum de Lazaro resuscitando coepisset loqui, antequam veniret in Bethaniam, dicens cap. 11. Maria autem erat quae unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis cujus frater Lazarus infirmabatur. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est quod ad Lucae narrationem non pertinet; sed pariter narratur à reliquis tribus. Quod ergo Matthaeus, & Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes, accipiamus non solum caput, sed etiam pedes Domini perfudisse mulierem: nisi forte quoniam Marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quicquam calumniosus est ut in vase fracto negot aliquid remanere potuisse, unde etiam pedes Domini perfunderet. Sed religiosus contendet aliquis non ita fractum esse ut totum effunderet; vel prius

(1) P. Nicolai corrigat sic: nec peccatricem eam fuisse fatendum est. (2) Al. spicati. (3) Al. odor. (4) Al. idest mystica.

accipiat perfusos pedes, antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret unde etiam caput perfunderetur. *Beda (super illud, Et attulit alabastrum.)* Est autem alabastrum genus marmoris candidi, variis coloribus interincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur. Nardus vero est frutex aromaticus grandis, ut ajunt, & crassa radice, sed brevi, ac nigra, fragillique. Quamvis autem pinguis sit, tamen redolet ut cupressus, aspero sapore, folio parvo, densoque, cujus cacumina in aristas se spargunt; ideoque gemina dote pigmentarii nardi spicas, ac folia celebrant. Et hoc est quod ait Marcus, *Unguenti nardi (2) pistici pretiosi*: quia videlicet unguentum illud quod attulit Maria Domino, non solum de radice confectum est nardi, verum etiam; quo pretiosus esset; spicarum quoque, & foliorum ejus adjectione (3) odoris, ac virtutis illius erat accumulata gratia. *Theophylactus (non mal. remote à prin.)* Vel, sicut in Graeco dicitur, *Nardi pistici*, idest fidelis, eo quod unguentum nardi erat abique dolo cum fide confectum. *Augustinus de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 78.)* Potest autem videri contrarium quod Matthaeus, & Marcus postquam dixerunt pascha, & biduum, deinde commemoraverunt, quod erat Jesus in Bethania, ubi de illo perioso unguento dicitur; Joannes autem ante sex dies paschae dicit Jesum venisse in Bethaniam, de eodem unguento narraturus. Sed qui ita moventur, non intelligunt, Matthaeum, & Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat, non post illam praedicationem de biduo; sed adhuc cum sex dies essent ante pascha recapitulando posuisse. *Hieronymus (ubi supra.)* Mystice autem Simon leprosus mundum infidelem primo, & postea fidelem significat; mulier autem cum alabaastro ecclesiasticam fidem, quae dicit. Cant. 1. Nardus mea dedit odorem suum. Pistica nardus dicitur, (4) idest fidelis, & pretiosa. Dominus impleta odore, caelum, & terra est. Fractum alabastrum carnale desiderium est; quod frangitur ad caput, ex quo omne corpus compaginatum est; recubante ipso, idest humiliante se, ut eum tangeret fides peccatricis, quae de pedibus ascendit ad caput, & ad pedes à capite descendit per fidem, idest ad Christum, & ad membra ejus. Sequitur: *Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista?* Per synecdochen dicitur unus pro multis, & multi pro uno. Perditio enim Judas de salute perditionem invenit, &

in vite fructifera mortis laqueus nascitur. Sub praetextu autem avaritiae mysterium fidei loquitur: etenim nostra fides trecentis emittit denariis, in decem sensibus, interioribus scilicet, & exterioribus, scilicet per corpus, & animam, & spiritum triplicatis. *Beda (super Et fremebant in eam.)* Quod autem dicit, *Et fremuerunt in eam*, nequaquam debemus de diligentibus Christum Apostolis dictum credere, sed de Juda potius sub numero plurali. *Theophylactus (aliqui à prin. Commen.)* Vel convenienter videtur innui quod discipuli plures mulierem arguerunt, eo quod saepe Christum audierant de elemosyna docentem. Judas vero non eadem intentione indigne tulit, sed propter amorem pecuniae, & turpe lucrum: unde & Joannes ipsum solum commemorat, tanquam fraudulenta intentione mulierem arguentem. Dicit autem: *Et fremuerunt in eam*; idest, molesti erant ei, exprobrantes, & injurias inferentes. Arguit autem Dominus discipulos, eo quod desiderium impediunt mulieris: unde sequitur: *Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis?* Postquam enim mopus obulerat, illam per opprobria pervertebant. *Origenes super Matth. (trac. 35.)* Doluerunt enim de perditione unguenti, quod poterat venundari multo pretio, & dari pauperibus; tamen non debebat fieri hoc, quia conveniens erat ut super caput Christi funderetur sancta, & decenti infusione: unde sequitur: *Bonum opus operata est in me.* Usque adeo autem efficax est laus hujus operis boni ut exhortetur nos omnes odoriferis, & pretiosis operibus implere Domini caput, ut de nobis dicatur, quod bonum opus fecimus super caput Christi: quia semper quidem habemus, quamdiu in hac vita sumus, pauperes nobiscum, & opus habentes cura eorum qui profecerunt in verbo, & divites facti sunt in sapientia Dei; non autem possunt sufficere; semper diebus, & noctibus habeant secum Filium Dei, idest Verbum, & Sapientiam Dei: sequitur enim: *Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis.* *Beda (super Me autem non semper habebitis.)* Mihi quidem videtur in hoc loco de praesentia corporali locutus, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem quomodo tunc in omni convictu, & familiaritate. *Hieronymus (Mar. 14. super Bonum opus operata est.)* Dicit etiam: *Bonum opus operata est in me*: quia qui credit in Deum, re-

putatur ei ad justitiam. Aliud est enim credere ei, & aliud in eum; idest, totum ejicere se in illum.

Sequitur: *Quod habuit*, idest quod potuit, hoc fecit, praevenerit ungere corpus meum in sepulchrum. *Beda (ibid.)* Quasi diceret: Vos putatis perditionem esse unguenti; officium sepulturae est. *Theophylactus (ibid.)* Praevenerit enim, quasi à Deo ducta, ungere corpus meum, in ignam sepulturae: in quo proditorem confudit, ac si (1) ei diceret: Qua conscientia mulierem confundis, quae in sepulchrum corpus meum ungit; te ipsum vero non confundis, qui me in mortem trades? Prophetizat autem Dominus consequenter duas prophetias, scilicet quod Evangelium praedicabitur in universo mundo, & quod opus mulieris laudabitur: unde sequitur: *Amen dico vobis: ubicumque fuerit praedicatum Evangelium.* Notandum autem, quod sicut Maria gloriam adeptam est in toto orbe de obsequio quod Domino exhibuit, ita & converso ille qui obsequio ejus detraxere non timuit, longe lateque infamatus est; sed Dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo praeteriit.

(c) *Beda (super Judas Scarioth.)* Infelix Judas damnus quod ex effusione unguenti fecisse credebatur, vult magistri pretio compensare: unde dicitur: *Et Judas Scarioth unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.* *Chrysostomus in ser. de Pass. (a)* Quid mihi ejus patriam dicitis? Utinam ipsum quodque nescire licuisset. Sed alter erat discipulus, qui Judas Jacobi zelotes vocabatur, & ne appellatione (2) cognominis fiat confusio personarum, propterea hunc ab illo separavit. Non autem dixit, Judas proditor, ut doceat detractiones nescire, & accusationes declinare. Quod autem dicit, *Unus de duodecim*, auget detestabilitatem proditoris: nam & alii discipuli erant, qui fuerant numero septuaginta: sed illi non intimi, non tanta confidentia sociati sunt; isti autem duodecim fuerunt comprobati: haec erat caterva (3) legalis, de qua proditor malignus exivit. *Hieronymus (super Praevenerit ungere corpus.)* Unus tamen erat de duodecim numero, non unus merito; unus corpore, non unus animo. Abiit autem ad principes postquam exiit, & intravit in eum satanas: unumquodque animal ad simile sibi jungitur. *Beda (super Judas Scarioth.)* Quod autem dicit, *Abiit*, ostendit eum non

B 7

(1) Al. enim. (2) Al. cognovimus. (3) P. Nicolai habet; forte melius, regalis. Ex edit. P. Nicol. (a) Sive serm. de Proditione Judae, cujus initium est: Paucis hodie necessarium. Hoc quoque jam pridem notatum fuerat ad marginem editionis Venetae Nicolini: quod etiam notandum in sequentibus ejusmodi indicibus.

non à principibus invitatum, non ulla necessitate constrictum; sed sponte propria sceleratæ mentis iniuste consilium. *Theophylactus* (super *Ut traderet illum eis.*) Dicit autem, *Ut proderet eum illis*, idest, ut annuntiaret illis quando solus existeret. Timebant, autem in eum irruere quando docebat propter turbam. *Hieronymus*. Promittit autem se tradere, ut magister ejus diabolus ante dicebat. Luc. 4. „Tibi dabo potestatem hanc, univ[er]sam.“ (1) Sequitur: *Qui audientes gavisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se duros. Promittunt quidem pecuniam, & amittunt vitam, quam ipse recipit cum vitam amittit.* *Chrysostomus* in ser. de Pass. O dementia, immo cupiditatem proditoris! Cuncta enim mala cupiditatis procreavit: nam cupiditas captas animas retinet, & omnibus nodis alligatas constringit, & rerum oblivionem imponit, & alienationem mentis ostendit. Ab hac Judas captivus cupiditatis insania, conversationis, mensæ, discipulatus, admonitionis, suasionis oblitus est: nam sequitur: *Et quærebatur quomodo eum opportune traderet.* *Hieronymus*. Sed opportunitas doli numquam invenitur, ut non vindicetur hic, aut illic. *Beda* (super *Qui audientes gavisi sunt.*) Multi hodie scelus Judæ, quod Dominum, ac Magistrum, Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane, & nefarium exhorrent, nec tamen cavent: nam cum promuneribus, caritatis, & veritatis jura spernunt, Deum, qui est caritas, & veritas, produnt.

(d) *Chrysostomus* in serm. de Pass. Quando Judas de traditione tractabat, alii discipuli sunt de præparatione paschæ solliciti: unde dicitur: *Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi comedere pascha?* *Beda* (cap. 44. super *Et primo die azymorum.*) Primum diem azymorum quartumdecimum diem primi mensis appellat, quando fermento abjecto, immolatur, idest agnus occiditur, solebant ad vesperam; quod exponens Apostolus ait Coloss. 3. „Pascha nostrum immolatus est Christus:“ qui licet die sequenti, idest quintadecima luna, sit crucifixus, attamen nocte qua agnus immolabatur, & corporis sanguinisque sui tradens mysteria celebranda, & à Judæis tentus, ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est passionis suæ, sacravit exordium. *Hieronymus* (ibid.) Azyma vero, quæ cum amaritudine, idest lactucis agrestibus, manducantur, redemptio nostra est; amaritudo (2) vero passio Domini. *Theophylactus* (super *Quo vis eamus?*) Ex hoc autem quod dicunt discipuli, *Quo vis eamus?* mani-

feste videtur quod Christus hospitium aliquod non habebat; sed neque discipuli proprias domos: si enim habuissent, duxissent eum ad illas. *Hieronymus*. Dicunt etiam, *Quo vis eamus?* ut cum voluntate Dei dirigamus gressus nostros. Dominus autem indicat cum quo manducet pascha, & more suo mittit duos, quod supra exposuimus: unde sequitur: *Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis, Ite in civitatem.* *Theophylactus*. Mittit quidem ex discipulis suis, Petrum scilicet, & Joannem, ut Lucas dicit, ad ignotum hominem, inueniens ex hoc quod posset non pati. Nam qui mentem ignoti (3) movit, ut ipsos reciperet, quid non operaretur in aliis? Dat etiam eis signum, ut domum scilicet invenirent, cum subdit: *Et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans.* *Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 80.) Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram: ille vasis genus, iste modum significavit: uterque veritatem sententiae custodivit. *Beda* (super *Et mittit duos.*) Indicium autem præsentiae divinitatis est quod cum discipulis loquens quid alibi futurum sit novit: unde sequitur: *Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.* *Chrysostomus* in serm. de Pass. Non illud quod nostrum, sed interim Judæorum; illud autem quod nostrum est non solum constituit, sed ipse factus est pascha. Sed & cur illud manducavit? Quia „factus est sub lege,“ ut eos qui sub lege erant redimeret: „Galat. 4. & ipse legi requiem daret: & ut nemo dicat, quod ideo eam evacuaverit, quia eam implere, ut molestam, & arduam, non valuit, ipse prius eam complevit, & sic fecit eam requiescere. *Hieronymus*. Mystice autem civitas Ecclesia est, quæ muro fidei cingitur; homo occurrens populus primitivus est; amphora aquæ lex litteræ. *Beda*. Vel aqua lavacrum gratiæ, lagena fragilitatem designat eorum per quos eadem erat gratia mundo monstranda. *Theophylactus*. Lagenam aquæ portat qui baptizatus est; qui autem baptisma bajulat, venit ad requiem secundum rationem vivens, & sicut in demo requie poritur: unde subdit, *Sequitur eum.* *Hieronymus*. Qui scilicet ducit in altum, ubi est reflectio Christi. Dominus domus Petrus Apostolus est, cui Dominus domum suam credidit, ut sit una fides sub uno pastore: cœnaculum grande Ecclesia magna est, in qua narratur nomen Domini, strata varietate virtutum, & linguarum. *Beda* (super *Demonstravit vobis cœnaculum.*) Vel cœnaculum magnum spiritualiter lex est quæ de angustiis litteræ egrediens, & sublimi loco, idest in alto mentis solarior, re-

(1) *Al. deest.* Sequitur. (2) *Al. omittitur* vero. (3) *Al. novit*,

cipit Salvatorem. Consulte autem si ve aquæ bajuli, si ve domini domus sunt prætermissa vocabula, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, hoc est Christi sacramentis imbui, eumque suæ mentis hospitio suscipere quærentibus, facultas danda signetur. *Theophylactus*. Vel Dominus domus intellectus est; qui ostendit cœnalem grande, idest altitudinem intelligentiarum; quod etsi altum sit, tamen nihil habet vanæ gloriæ, & tumoris; sed sternitur, & planum fit humilitate. Ibi autem, idest in tali mente, pascha Christo paratur, à Petro scilicet, & Joanne, idest ab actione, & contemplatione.

(e) *Beda* (super *Vespere autem facto.*) Dominus, qui de sua passione prædixerat, etiam de proditore prædicit, dans locum penitentiae, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas, penitenter eum facti sui: unde dicitur: *Vespere autem facto, venit cum duodecim: & discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum.* *Chrysostomus* in ser. de Pass. Ubi patet quod non aperte eum omnibus publicabat, ne impudentiorem eum faceret, nec etiam penitus silentio præteribat, ne celari arbitratu, audacter ad prodicionem properaret. *Theophylactus* (super *Et cum recumbentibus.*) Sed quomodo discumbentes cœnabant, cum lex præcipere quod stantes erecti deberent pascha comedere? Probabile autem est prius eos adimplesse pascha legale, deinde discubuisse, incipiente eo proprium tradere pascha. *Hieronymus* (super *Vespere autem.*) Vespere autem diei, vesperam indicat mundi: circa undecimam namque oram veniunt novissimi, qui primi denarium æternæ vitæ accipiunt. Omnes igitur discipuli tanguntur à Domino; ut fiat armonia citharæ, omnes nervi bene suspensi consona voce respondent: nam sequitur: *At illi cœperunt contristari, & dicere ei singillatim: Numquid ego? Unus autem* (1) remissus, & pecunie amore madefactus, dixit: „Numquid ego sum, Rabbi?“ sicut in *Matthæo* legitur cap. 26. *Theophylactus* (super *Cœperunt esse mœsti.*) Cœperunt autem alii discipuli contristari propter verbum Domini: nam etsi extra hanc existerent passionem, magis tamen credunt illi qui omnium novit corda, quam sibi.

Sequitur: *Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.* *Beda* (super *Unus ex duodecim qui intingit.*) Judas scilicet qui, ceteris contristatus, & retrahentibus manum, cum magistro manum mittit in catinum: & quia prius dixerat, *Unus ex vobis me tradet,* & perseverat proditor in malo, manifestus arguit; & tamen nomen proprium non de-

signat. *Hieronymus* (ubi supra.) Dicit autem, *Unus de duodecim*, quasi ab eis paratum; separatur enim seorsum verum ovem quem capit. Ovis quæ de ovili egreditur, lupi morsibus patet. Judas autem nec primo, nec secundo correptus à prodicione retrahit pedem: unde pena prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigan denuntiata supplicia: & hoc est quod subditur: *Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo.* *Theophylactus* (super *Filius hominis vadit.*) Per hoc quod dicitur, *Vadit*, ostenditur quod mors Christi fuit voluntaria, & non necessaria. *Hieronymus* (ubi supra.) Sed quia multi bonum, ut Judas, faciunt, sed omnino illis non proficit; recte subditur: *Vadit autem homini illi per quem Filius hominis tradetur.* *Beda* (ibid.) Sed & hodie quoque in sempternum vae illi homini qui ad mensam sempiternam vae illi homini qui ad mensam sempiternam malignus accedit. Etenim ille in exemplum Judæ Filium hominis tradit, non quidem Judæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris suis.

Sequitur: *Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.* *Hieronymus* (super *Melius erat illi.*) Scilicet intimo latens utero materno: melius enim est non esse, quam ad tormenta esse. *Theophylactus*. Quantum enim ex fine melius fuisset ei quod esset, si non proditor existeret, nam Deus fecit ipsum ad opera bona; sed postquam ad tantam devenit malitiam, melius fuisset ei si natus non fuisset.

(f) *Beda* (super illud, *Manducantibus illis accepit Jesus.*) Finitis pascha veteris solemnis transit ad novum, ut scilicet pro carne agni, ac sanguine, sui corporis, sanguinisque sacramentum substitueret: unde dicitur: *Et manducantibus illis accepit Jesus panem: ut scilicet ipsum se esse monstraret, cui juravit Dominus Plal. 109. „Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.“*

Sequitur: *Et benedicens fregit.* *Theophylactus* (Marc. 14. super illud, *Gratias agens fregit.*) Idest, gratias agens fregit: quod & nos facimus, orationes superaddentes. *Beda*. Frangit etiam ipse panem quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non abique sua sponte, vel procuratore futuram; quem etiam benedixit, quia naturam humanam quam passurus assumpsit, ipse una cum Patre, & Spiritu Sancto gratia divinæ virtutis implevit. Benedixit panem, ac fregit: quia hominem assumptum ita morti subdere dignatus est, ut ei divinæ immortalitatis inesse potentiam demonstraret; ideoque velocius eum à morte resuscitandum esse doceret.

(1) *Al. remissus.*

Sequitur: *Et dedit eis, & ait: Sumite: hoc est corpus meum. Theophylactus* (super *Hoc est corpus*.) Hoc scilicet quod nunc do, & quod nunc sumitis. Non autem panis figura tantum corporis Christi est, sed in proprium Christi corpus transmutatur: nam Dominus ait Joan. 6., Panis quem ego dabo, caro mea est: "sed tamen caro Christi non videtur propter nostram infirmitatem: panis enim, & vinum de nostra consuetudine est; si vero carnem, & sanguinem cereremus, fumere non sustineremus. Propter hoc Dominus nostram infirmitatem condescendens, species panis, & vini conservat; sed panem, & vinum in veritatem convertit carnis, & sanguinis. *Chrysostomus* in serm. de Pass. Et nunc etiam ille praeo est Christus: qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est qui (1) proposita corpus Christi facit, & sanguinem; sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba profertur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc verbo quod dicit, *Hoc est corpus meum*, proposita consecrantur: & sicut illa vox quae dicit Gen. 1., Crescite, & multiplicamini, & replete terram, "semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita & vox ista semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiae usque in hodiernum diem, & usque ad ejus adventum praestat sacrificio firmitatem. *Hieronymus* (ubi supra.) Mystice autem in panem transfiguratur Dominus corpus suum, quod est Ecclesia praesens, quae accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formatur in sanguinem suum in calice vino, & aqua commixtum: ut alio purgemur à culpis, alio redimamur à peccatis. Sanguine namque agni fervantur domus à percussione Angeli, & aqua maris rubri exinguntur inimici; quae sunt mysteria Ecclesiae Christi: unde sequitur: *Et accepto calice gratias agens dedit eis*: gratia enim, & non meritis salvati sumus à Deo. *Gregorius* 2. Moral. (super illud, "Sicut Domino placuit, & vitulorum est sanguine dedicatum, discente inter aspergendum legislatore: "Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos", Deus."

Sequitur: *Qui pro multis effundetur. Hieronymus* (ubi supra.) Non enim omnes emundat. Sequitur: *Amen dico vobis, quod jam non bibam de gemine vitis usque in diem illum, cum illud bibam, nequam in regno Dei. Theophylactus* (super *Non bibam de fructu vitis*.) Quasi dicat: Non bibam de vino usque ad resurrectionem: regnum enim resurrectionem vocat, quasi tunc regnaverit contra mortem. Post resurrectionem vero bibit cum discipulis; & comedidit ostendens quod idem ipse esset qui passus est. Novum autem bibit illud, id est novo quodam modo, & alieno: non enim corpus habebat passibile indigens cibo, sed immortale, & incorruptibile. Intelligendam est autem & sic. Vitis est ipse Dominus, genimen vitis mysteria, & intellectus occultus; quem ipse generat qui docet hominem scientiam. In regno autem Dei, id est in futuro saeculo, bibit cum suis discipulis mysteria, & sapientiam, nova, quaedam nos docens, & revelans quae nunc occultat. *Beda* (ibid.) Vel aliter. Vitem, sive vineam Domini appellatam esse synagogam. *Isaias* cap. 5. testatur dicens: "Vinea Domini sabaoth, domus Israel est." Iturus ergo Dominus ad passionem ait: *Jam non bibam de gemine vitis*; ac si aperte dicat: Non ultra carnalibus synagogae caerimoniis delectabor, in quibus etiam ista paschalis agni sacra locum tenuere praecipuum. Aderit enim tempus meae resurrectionis, aderit dies ille cum in regno Dei positus, id est gloria vitae immortalis sublimatus, de salute ejusdem populi, fonte gratiae spiritualis regenerati, vobiscum gaudio perfundar. *Hieronymus* (ibid.) Considerandum autem, quod hic Dominus mutat tantum sacrificium, sed non mutat tempus, ut nos nunquam cenam Domini ante quartadecimam lunam faciamus. Qui facit in quartadecima resurrectionem, in undecima luna cenam Domini faciet; quod nunquam in testamento veteri, nec in novo factum est.

(1) Al. propositum. (2) Al. ac pati posse. (3) Al. in igne. (4) Citata quatuor exempla habent mysteria Christi; cujus sacrificium non emundat &c.
Ex edit. P. Nicol. (a) Sic Hilarius manifeste can. 3. in Matth. ut S. Thomas ex illo notat, & recitat 3. P. quaest. 2. art. 81.

Deo gratias agere, qui in nostra tribulatione operatur multorum salutem. *Beda* (ibidem.) Potest etiam hymnus ille intelligi quem Dominus secundum Joannem Patri gratias agens decantabat; in quo & pro seipso, & pro discipulis, & pro eis qui per verbum ipsorum credituri erant, elevatis sursum oculis, precabatur. *Theophylactus* (super *Exierunt in montem*.) Exiit autem in montem, ut ad eum solitariam existentem (2) accedentes, ipsum caperent absque tumultu. Si enim accessissent cum civitate manebat, forte fuisset multitudo populi conturbata; & tunc manifeste occasionem inimici captantes viderentur ipsum juste interficere tamquam populum concitantem. *Beda* (ibidem.) Pulchre etiam Dominus discipulos sacramentis imbutos in montem educit olivarum, ut typice designet nos per acceptionem sacramentorum ad altiora virtutum dona, & charismata sancti Spiritus, quibus in corde perungamur, ascendere debere. *Hieronymus*. In monte etiam Oliveri Jesus tenetur, unde ad caelos ascendit, ut nos sciamus quia inde ascendimus ad caelos unde vigilamus, & oramus, & legamus, nec repugnamus in terra. *Beda* (ubi supra.) Praedicat autem Dominus discipulis quid passuri sunt, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes poenitentiam liberentur; unde sequitur: *Et ait illis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista. Hieronymus* (super *Omnes scandalizabimini*.) Omnes quidem cadunt, sed non omnes jaceant. Numquid enim qui dormit non adjiciet ut refurgat? Carnale est cadere, sed diabolicum est jaceri. *Theophylactus* (ubi supra.) Permisit autem eos Dominus cadere, ut non in seipsis confidant: & ne videatur hoc quod praedixerat, ex quodam argumento apparenti praedixisse, indicat testimonium Zachariae Prophetae; unde sequitur: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Beda* (super *Percutiam pastorem*.) Hoc alius verbis in Zacharia Propheta scriptum est. cap. 13. & ex persona Prophetae ad Dominum dicitur: "Percute pastorem, & dispergentur oves." (b) Propheta enim postulat passionem Domini; Pater respondet: *Percutiam pastorem*, percibus inferiorum. Filius à Patre mittitur, & percuitur; id est, incarnatur, & patitur. *Theophylactus* (Mar. 14. circa med.) Dicit autem Pater: *Percutiam pastorem*, quia ipsum percuit dimisit. Oves discipulos dicit, quasi innocentes, & quasi absque malitia. Ultimo consolationem inducit, dicens: *Sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Hieronymus* (super *Exierunt*

(g) (a) Hilarius. Sicut gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt & postquam biberunt: unde dicitur: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveri*: ut scilicet adificas & ante cibum, & post cibum gratiarum reddere actiones. *Hieronymus*. Hymnum enim dicit laudem Domini, ut est in Psal. 21. "Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: & (1) adoraverunt, & manducaverunt omnes pingues terrae." *Theophylactus* (super *Et hymno dicto*.) Simul etiam & hic ostendit quod amplectibile erat sibi pro nobis morti quia cum tradendus erat, Deum laudare dignatus est. Docet etiam nos, cum in angustiis incidimus propter multorum salutem, non contritari, sed S. Th. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. odoraverunt. (2) Al. exeuntis.
Ex edit. P. Nicol. (a) *Theophylactus*, (b) *Hieronymus*.

rum in mentem Oliveti.) In quo vera promittitur resurrectio, ut ipse non extinguatur. Sequitur: Petrus autem ait ei: *Esti omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Ecce avis sine pernis in altum volare nititur, sed corpus aggravat animam, ut timore humanæ mortis timor Domini superetur. *Beda* (super *Amen dico tibi*). Et Petrus ergo de amore fidei promittebat, & Salvator quasi Deus futura noverat: unde sequitur: *Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 2.) Cum omnes Evangelistæ dicant prædixisse Dominum, quod eum Petrus esset negaturus, antequam gallus cantaret; Marcus hoc solum narravit expressius: unde nonnullis videtur non congruere cæteris, quia parum attendunt. Tota enim Petri negatio trina est, quæ si tota post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres alii Evangelistæ, quod scilicet antequam gallus cantaret, ter eum esset negaturus. Rursus si totam trinam negationem ante peregrisset quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisset Marcus ex persona Domini: *Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es.* Sed quia ante primum galli cantum cæpta est illa trina negatio, attendunt illi tres non quando eam compleretur esset Petrus, sed quanta futura esset, idest trina, & quando cæptura idest ante galli cantum: quamquam in animo ejus, & ante primum galli cantum tota concepta est. Marcus autem de ipsarum vocum intervallo planius elocutus est. *Theophylactus* (Marc. 14. circ. med. Comment.) Quod sic intelligitur. Petrus semel negavit, deinde gallus cantavit; negante vero eo duobus aliis negationibus, rursus gallus secundo vocem emisit. *Hieronymus* (super *Priusquam gallus*). Gallus lucis nuntius quis est nisi Spiritus Sanctus? cujus voce in prophetia, & in Apostolorum nos de trina negatione excitamur ad amarissimos post lapsum stertus; qui male cogitavimus de Deo, & male locuti sumus ad proximos, & male fecimus ad nosmetipsos. *Beda* (super *Esti omnes scandalizati fuerint*). Fides autem Apostoli Petri, & adens affectus ad Dominum consequenter ostenditur: sequitur enim: *At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* *Theophylactus* (ubi supra.) Fervorem etiam intrepidum, & alii discipuli ostenderunt: nam sequitur: *Similiter autem & omnes dicebant: sed tamen resistebant veniati, quam Christus prædixerat.*

(h) *Glossa*. (a) Postquam Dominus scandalum discipulorum prædixerat, nunc Evangelista narrat de oratione ipsius, in qua pro discipulis

videtur orasse; & primo describens locum orationis, dicit: *Et venit in prædium cui nomen Gethsemani.* *Beda* (super *Venit in locum cui nomen Gethsemani*). Monstratur utique hodie locus Gethsemani, in quo Dominus oravit ad radices montis Oliveti. Interpretatur autem Gethsemani vallis pinguium, sive pinguedinum. Cum autem Dominus in monte orat, nos docet, sublimia orando inquiri debere. At cum in valle pinguedinis orat, insinuat nobis humilitatem (semper in orationibus, & internæ pinguedinem dilectionis esse servandam. Ipse etiam per vallem humiliatis, & pinguedinem caritatis pro nobis mortem subiit. *Hieronymus* (super *Sedete hic*). In valle etiam pinguedinum tauri pingues oblederunt eum. Sequitur: *Et ait discipulis suis: Sedete hic donec oram.* Separantur in oratione qui separantur in passione: quia ille orat, illi dormiunt, pinguedine cordis oppressi. *Theophylactus* (ibidem.) Singulariter etiam erat consueto illi semper orare, formam nobis tradens ut silentium, & solitudinem in orationibus requiramus. Sequitur: *Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum.* Illos tres tantum assumit qui gloria ejus in monte Thabor inspectores extiterant, ut qui gloriosa viderant, viderent & tristitia, & addiderent quod verus erat homo in hoc quod tristatur: unde sequitur: *Et cepit pavere, & cadere.* Quia enim totum assumpserat hominem assumptis & naturalibus proprietatibus hominis, pavere, & cadere, & contristari naturaliter: nam homines naturaliter inviti sedunt ad mortem: unde sequitur: *Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* *Beda* (supra *Tristis est*). Quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis objurgant excluderetur impietas: nam qui corpus suscepit, omnia debuit suscipere quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur: divinitas enim per hos commutari nescit effectus. *Theophylactus* (ibidem.) Quis autem hoc sic intellexerunt, quasi dicit: Tristis enim non quod mori debeo, sed quod Israelitæ propinquæ mei me crucifixuri sunt, ac per hoc a regno Dei debent excludi. *Hieronymus* (super *Capit pavere*). In hoc etiam pavere, & tristari docemur ante iudicium mortis, quod non possumus per nos dicere, sed per illum: „ Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam: „ Joann. 14.

Sequitur: *Sustinete hic, & vigilate.* *Beda* (super *Sustinete, & vigilate*). Non a somno dormitionis prohibet, cujus tempus non erat imminente discrimine, sed a somno infidelitatis, & torpore mentis. Paululum autem procedens truit

in faciem suam, & humilitatem mentis habitu carnis ostendit: unde sequitur: *Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 4. à med.) Non dixit, Si facere posset, sed *Si fieri posset*: fieri enim potest quod ille voluerit. Sicutaque dictum est: *Si fieri potest, ac si diceretur: Si vellet.* Et (1) ne quis putaret eum Patris minuisse potestatem, manifestavit quo intellectu accipiendum sit quod dictum est: nam sequitur: *Et dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt:* in quo satis ostendit non ex impossibilitate, sed ex voluntate Patris dictum esse, *Si fieri potest.* Quod autem Marcus non solum Pater, sed *Abba Pater* eum dixisse commemorat: hoc est *Abba* Hebraice, quod latine *Pater*. Et fortasse Dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixit, volens ostendere se illam tristis personam (2) in persona sui corporis, idest Ecclesia, suscepisse, cui factus est angularis lapis; venientibus ad eum partim ex Hebræis, ad quos pertinet quod ait *Abba*, partim ex Gentibus, ad quos pertinet quod ait *Pater*. *Beda* (super *Non sicut ego volo*). Orat autem transire calicem, ut ostendat vere quod homo erat: unde subdit: *Transfer calicem hunc a me.* Reminiscens autem & propter quod missus est, perficit dispensationem ad quam missus est, & clamat: *Sed non quod ego volo, sed quod tu;* quasi dicat: Si moritur mors me non moriente secundum carnem, transeat calix; verum, quia non aliter hoc fiet, non quod ego volo, sed quod tu. Multi adhuc contristantur futura morte; sed habeant rectum cor, vitent mortem quam possunt; sed si non possunt, dicant id quod propter nos Dominus dixit. *Hieronymus* (Marc. 14. super illud, *Si possibile est*). Ex quo etiam usque in finem non cessat nos docere patribus obedire, & voluntatem eorum voluntati nostræ præponere. Sequitur: *Et venit, & invenit eos dormientes.* Sicut enim dormiunt mentes, sic & corpore. Post orationem autem Dominus veniens, & videns discipulos dormientes, Petrum solum increpat: unde sequitur: *Et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum?* quasi dicat: Qui una hora non potuisti mecum vigilare, quomodo mortem spernes tu qui spondes mori mecum? *monachus* (1) Sequitur: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem,* scilicet negando me. *Beda* (super *Orate ut non intretis in tentationem*). Non ait, Orate ne temeremini, quia impossibile est humanam animam non tentari; sed *ne intretis in tentationem*; hoc est, ne vos tentatio lapegret. *Hieronymus* (super *Vigilate, & orate*). In tentationem autem intrabit, si temerarius hinc reprimat, qui quicquid crederent, putant se consequi posse. Sed quantum ex mentis ardore confidimus, tantum ex fragilitate carnis timeamus. Facit etiam hic locus adversus eos qui dicunt unam in Domino operationem, & unam voluntatem fuisse. Duas enim voluntates ostendit, humanam scilicet, quæ propter infirmitatem carnis recusat passionem, & divinam, quæ promptissima est.

Sequitur: *Et iterum abiens oravit cum dem sermone dicens: Theophylactus* (ubi supra.) Ut scilicet per secundariam orationem quod verus homo esset, affirmaret. Sequitur, & *reversus denuo, invenit eos dormientes;* tamen non vehementer redarguit: *Erant enim oculi eorum gravati, scilicet somno, & ignorabant quid responderent ei.* Per hoc infirmitatem humanam adducas, ne scilicet gravati somno promittamus ea quæ nobis impossibilia sunt. Ideo tertio abiit ad orandum (3) ratione prædicta: unde sequitur: *Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite.* Non turbatur contra illos cum post redargutionem pejus fecerint; sed ironice dicit illis: *Dormite jam, & requiescite:* quia jam sciebat quod proditor appropinquabat. Et quod ironice dixerit, apparet per hoc quod subditur: *Sufficit. Venit hora: ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Hoc dicebat deridens somnum eorum, quasi diceret: Nunc tempus est ut dormiatis quando inimicus appropinquat. Deinde subiungit: *Surgite, sciamus: ecce qui me tradet prope est.* Non ut fugerent hoc dicit, sed ut inimicus obviarent. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 4.) Vel aliter: Per hoc quod cum dixisset: *Dormite jam, & requiescite,* adiungit, *Sufficit, & deinde infert: Venit hora, ecce tradetur Filius hominis;* utique intelligendum est post illud, *Dormite, & requiescite,* fuisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret quod (4) præmiserat; & tunc intulisse, *Venit hora;* & ideo interponit, *Sufficit,* scilicet quod requiescitis. *Hieronymus* (ubi supra.) Trina autem discipulorum dormitio tres mortuos quos Dominus suscitavit significat: primus in domo, secundus ad sepulcrum,

- (1) Al. neque putaret. (2) Al. jam sui corporis. *Nicolaus* se illam tristitiam in personam, &c.
(3) Al. oratione. (4) Al. permiserat.

tertius de sepulcro. Trina autem Domini vigilia docet nos orando. (1) & de praeiis, & de futuris, & de presentibus veniam rogare.

(1) *Beda* (super *Surgite, eamus.*) Postquam tertio Dominus oraverat, & Apostolorum timorem sequente penitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores; de quorum adventu Evangelista dicit: *Et adhuc eo loquente venit Judas Scarioth unus de duodecim. Theophylactus* (super *Accersit Judas.*) Hoc non frustra ponitur, sed ad majorem proditoris redargutionem, quod cum de primo choro discipulorum existeret, contra Dominum in iram versus est.

Sequitur: *Et cum eo turba multa cum gladiis, & lignis, missi a summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus. Hieronymus* (ubi supra) Incumbit enim virtuti saeculi qui desperat de adiutorio Dei. *Beda* (super *Dederat autem eis signum.*) Adhuc tamen habet aliquid Judas de veteranda discipuli, cum eum non palam tradidit persecutoribus, sed per signum oculi; unde sequitur: *Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est: tene te eum, & ducite eum. Theophylactus* (super *Deosculatus est eum.*) Vide ejus insensibilitatem, quomodo crederet in oculo Christum decipere, ut quasi amicus estimaretur. Si autem amicus eras, o Juda, cuius gratia cum inimicis accessisti? Sed omnis pravitas sine providentia est.

Sequitur: *Et cum venisset, statim accedens ad eum ait, Ave Rabbi, & osculatus est eum. Hieronymus* (ibidem) Dat Judas signum oculi cum veneno doli; sic Cain obtulit sacrificium subdolum, & reprobatum. *Beda* (ubi supra) Invidens autem, & scelerata confidentia magistrum vocat, & osculum infert ei quem tradit. Suscipit autem Dominus osculum traditoris, non quo simulare nos doceat, sed ne prodicionem fugere videatur; simul & illud Psalmi 119. complens: „Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.“

Sequitur: *At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Hieronymus* (ubi supra) Hic adest Joseph venditus a fratribus, & ferrum petrarum sivit animam ejus.

Sequitur: *Unus autem de circumstantibus educens gladium, percussit servum summum sacerdotis, & amputavit auriculam. Beda* (super *Unus autem educens gladium.*) Petrus hoc fecit, ut Joannes declarat, eodem mentis ardore quo caetera faciebat: sciebat enim quomodo Phinees puniendo sacrilegos, mercedem iustitiae, & sacerdotii perennis accepit. *Theophylactus* (ibidem.) Ta-

cet autem nomen ejus Marcus, ut non videretur suum laudare magistrum quasi zelantem pro Christo. Innuat autem Petrus ex hoc quod inobedientes erant, & increduli, spernentes Scripturas: nam si habuissent aures audientes Scripturas, non crucifixissent Dominum gloriae. Amputavit autem auriculam servi summum sacerdotis: nam summus sacerdos primo praeteribat Scripturas, quasi servi non audientes facti.

Sequitur: *Et respondens Jesus ait illis: Tamquam ad laironem existis cum gladiis, & lignis? Beda* (super *Tamquam ad laironem existis.*) Quasi dicat: Stultum est cum gladiis, & fustibus quaerere eum qui ultro se vestris tradidit. manibus, & in nocte quasi latitante per proditorem investigare qui quotidie in templo docebat. *Theophylactus* (super *Quotidie eram apud vos.*) Illud autem divinitatem ejus ostendit: quando enim in templo docebat, non valuerunt ipsum capere, quamvis in manibus eorum esset, quia nondum tempus advenerat passionis; quando autem ipse voluit, tunc tradidit seipsum, ut adimplerentur Scripturae, quia clamans agnus ad occisionem ductus est, non clamans, neque vociferans, sed voluntarie patiens. *Esai.* 53.

Sequitur: *Tunc discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Beda* (super *Ue implentur Scripturae.*) In hoc impletur sermo, quem Dominus dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Sequitur: *Adolescens autem quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo: subauditur, corpore: quia non aliud indumenti quam solam habebat sindonem. Sequitur: Et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis: quorum scilicet, presentiam detestabatur, & facta; (2) non a Domino, cujus amorem & absens corpore fixum servavit in mente. Hieronymus* (super *Adolescens quidam.*) Sicut etiam Joseph, relicto pallio, nudus de manibus impudicae feminae aufugit, qui vult effugere manus iniquorum, relinquens mente quae mundi sunt, fugiat post Jesum. *Theophylactus* (ibid.) Probabile autem videtur quod hic adolescens erat de illa domo in qua pascha comederant. Quidam vero dicunt hunc adolescentem fuisse Jacobum fratrem Domini, qui dicebatur iustus, qui ab Apostolis post Christi ascensionem cathedram Hierosolymorum accepit. *Gregorius* 14. Moral. (cap. 26. super illud, *Pelli mea consumpris carnibus:* in nov. exemp. est 23.) Vel hoc de Joanne dicitur, qui, etsi post, ut verba Redemptoris audiret, ad crucem rediit, prius tamen territus fugit. (a) Nam, & illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post hoc in

poralis commodi solatium perfidorum societate quaerebat.

Sequitur: *Summi vero sacerdotes, & omne concilium quaerebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent. Theophylactus* (super *Summi sacerdotes, & omne concilium.*) Lege praecipiente, quod unus existeret summus sacerdos, tunc multi erant substituti, & destituti annis singulis per Principem Romanorum. Summos ergo sacerdotes dicit illos qui determinatum eis tempus complentes jam compleverant, & a sacerdotio destituti erant. Figuram autem iudicii, quod in praedictum agebant, operantur, testimonia quaerentes, ut viderentur Jesum iuste damnare, & perdere. *Hieronymus* (super *Multi autem testimonium.*) Sed mentis est iniquitas sibi, ut Regina adversus Joseph, & sacerdotes adversus Susannam. Sed ignis sine materia deficit unde sequitur: *Nec inveniebant: multi enim falsum testimonium dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant. Quod enim variatur, incertum habetur. Sequitur: Et quidam surgentes falsum testimonium dicebant adversus eum, & convenerunt in unum omnes sacerdotes, & scribae, & seniores. Hieronymus* (super *Adolescens quidam.*) Tunc facta est congregatio taxorum in vasis populorum. Sequitur: *Petrus autem a longe sequebatur eum usque intro in atrium summum sacerdotis. Timor enim retrahit, sed caritas trahit. Beda* (super *Petrus a longe sequebatur.*) Merito autem a longe sequebatur qui iam erat proxime negaturus: neque enim negare posset, si Christo proximus adhaesisset.

Sequitur: *Et sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. Hieronymus* (super *Sedebat cum ministris.*) In atrio cum ministris calefacit se ad ignem. Atrium sacerdotis est secularis circuitus; ministri daemonia sunt, eum quibus qui manet, flere peccata non potest; ignis desiderium carnale. *Beda* (ibid.) Est enim ignis caritas, de quo dicitur *Luc.* 12. „Ignem veni mittere in terram.“ qui super credentes descendens variis linguis eos laudare Dominum docuit. Est & ignis cupiditatis, de quo dicitur *Osee* 7. „Omnes adulterantes velut cibus corda eorum.“ Hic ignis in atrio Caiphae instinctu maligni spiritus accensus, ad negandum, ad blasphemandum Dominum perfidorum linguas armabat. Quod enim intus in domo maligna synodus gerebat, hoc ignis in atrio inter frigora noctis accensus figurabat. Quoniam enim abundat iniquitas, refrigescit caritas multorum. Hoc frigus torpens ad horam Petrus; quasi prunis ministrorum Caiphae calefieri cupiebat: quia tem-

poralis commodi solatium perfidorum societate quaerebat. Quanto Jesus tacebat ad indignos responsione sua falsos testes, & sacerdotes impios, tanto magis pontifex furor superatus, eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis, locum inveniat accusandi: unde dicitur: *Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quicquam ad ea quae tibi obijciuntur ab his? Iratus quidem princeps, & impatientis, non inveniens calumniam locum, exurgit de solio, ut insaniam mentis motu corporis demonstraret. Hieronymus* (super *Quidam autem.*) Sed ipse Deus, & Salvator noster qui mundo salutem contulit, & humano generi sua pietate subvenit, sicut ovis ad occisionem sine voce ducitur, & obmutuit, & stultus a bonis: unde sequitur: *Ille autem tacebat, & nihil respondit. Taciturnitas Christi apologiam, id est excusationem, adae absolvit. Theophylactus* (super *Ille tacebat.*) Tacebat autem, sciens quod non attenderet verbis ejus: unde secundo Lucam cap. 22. respondit: „Si dixerio vo-

(1) *Al. omittitur & de praeiis.* (2) *Al. non sic Domino.* (a) *Non est in Glossa quae nunc extat.*
EX EDIT. P. NICOL. (a) *Beda.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Non est in Glossa quae nunc extat.*

„bis, non credetis mihi:“ unde sequitur: *Rursum summus sacerdos interrogavit eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti?* Interrogat quidem hoc summus sacerdos, non ut addicens crederet, sed ut ex hoc aliquam occasionem caperet. Quærit autem: *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* Multi namque erant Christi, idest uncti, sicut Reges, & summi Sacerdotes, sed nullus eorum dicebatur Filius Dei benedicti, quasi semper collaudati. *Hieronymus* (super *Tu es Christus?*) Hunc autem expectabant de longe, quem prope non vident; sicut *Isaac* caligantibus oculis *Jacob* sub manibus non agnoscit, sed longe de eo futura capit. Sequitur: *Jesús autem dixit illis: Ego sum, ut scilicet inexcusabiles sint.* *Theophylactus* (super *Rursum summus sacerdos.*) Sciebat namque quoniam non crederent; tamen respondit, ne postea dicerent: Si audissemus aliquid ab eo, credidissemus ei. Hoc autem est in eorum præjudicium: quia audierunt, & non crediderunt. *Augustinus* de *Conf. Evang.* (Lib. 3. cap. 6. & 7.) *Matthæus* autem cap. 26. non dixit respondisse *Jesum*, *Ego sum*, sed „Tu dixisti,“ sed *Marcus* tantum valere offendit quod ei dicit, „Tu dixisti,“ quantum si diceret, *Ego sum.*

Sequitur: *Et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus Cæli.* *Theophylactus* (super *Videbitis Filium hominis.*) Ac si dicat: Videbitis me tanquam Filium hominis a dextris Patris sedentem. Virtutem namque hic Patrem dicit. Non autem sine corpore venit; sed qualis apparuit crucifigentibus. (1) talis in judicio eis apparebit. *Beda* (ibidem) Si ergo tibi in Christo, o Judæe, o Pagane, & Hæretice, contemptus, infirmitas, & erux contumelia est; vide quia per hoc Filius hominis ad dexteram Dei Patris sedurus, & in sua cum nubibus Cæli est majestate, futurus. *Hieronymus* (ubi supra) Et quidem sacerdos interrogat Filium Dei; *Jesús* autem respondit Filium hominis: ut hinc intelligamus Dei Filium idem esse & Filium hominis; & ne quaternitatem faciamus in Trinitate; sed homo in Deo, & Deus in homine sit. Dicit autem: *A dextris virtutis sedentem*; idest, in vita regnantem sempiterna, & virtute divina. *Ita venientem cum nubibus Cæli.* In nube ascendit, cum nube venit; idest, in corpore suo solo, quod sumpsit a Virgine ascendit, & cum multiformi Ecclesia, quæ corpus ipsius, & plenitudo ejus, ad judicium venturus est. *Leo Papa* (serm. 6. de Passione Domini.) *Caiphas* autem ad exaggerandam auditu sermonis invidiam, scidit vestimenta sua, & nesciens quid

(1) Al. emittitur talis. (2) P. Nicolaius habet
(3) Al. & interposuit; item infra adjunxit.

hæc significaret, insaniam, sacerdotali se honore privavit, oblitus præcepti illius quod legitur de principe sacerdotum *Lev. 21.* „De capite suo cidarim non deponet, & vestimenta sua non dirumpet.“ Nam sequitur: *Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* *Theophylactus* (super *Summus sacerdos scindens vestimenta.*) Adimplet quidem sacerdos consuetudinem judaicam: cum enim aliquid intolerabile, & triste illis occurrebat, vestimenta scindebant. Ut ergo monstraret quod *Christus* magnam, & intolerabilem blasphemiam dixerit, vestimenta scidit. *Beda* (ibidem.) Alterior autem mysterio factum est ut in passione Domini pontifex Judæorum sua ipse vestimenta discinderet, hoc est ephod; cum tunica Domini nec ab ipsis qui eum crucifixerunt militibus scindi potuerit. Figurabatur enim quia sacerdotium Judæorum pro scelere ipsorum pontificum esset scindendum; soliditas vero Ecclesie, quæ vestis sui Redemptoris solet appellari, numquam valet dirumpi. *Theophylactus* (ibidem.) Ex eo autem sacerdotium Judæorum scindendum erat quod condemnaverunt *Christum* esse reum mortis: unde sequitur: *Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.* *Hieronymus* (ibidem.) Condemnat quidem eum esse reum mortis, ut reatu suo reatum nostrum solveret. Sequitur: *Et ceperunt quidam conspuere eum: ut scilicet sputaminibus suscepris faciem animæ nostræ lavaret, & velamine faciei suæ velamen cordium nostrorum auferret; & colaphis, quibus in capite percussus est, caput humani generis, quod est Adam, fanaret; & alapis, (2) quibus expalmarus est, maxima laus ejus nostris manibus labisque plauderet: ut dicitur *Psalm. 46.* „Omnes gentes,“ plaudite manibus.“ *Beda* (super *Prophetiza.*) Quod vero dicunt ei: *Prophetiza: quis est qui te percussit?* quasi in contumeliam faciunt ejus qui se à populis Prophetiam haberi voluit. *Augustinus* de *Con. Evang.* (Lib. 3. cap. 6.) Hoc autem intelligitur passus Dominus usque ad mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est.*

(m) *Augustinus* de *Con. Evang.* (Lib. 3. cap. 6.) De Petri tentatione, quæ inter prædictas Domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes Evangelistæ narrant. Nam *Lucas* explicat prius tentationem Petri, tum demum has Domini contumelias; *Joannes* autem incipit Petri tentationem dicere, (3) & interponit quædam de contumeliis Domini, & adjungit, quod inde missus est ad *Caiapham* Pontificem; & inde recat

quibus expalmarus est in maxillis, laus ejus, &c.

pirulat, ut explicet quam ceperat tentationem Petri. *Matthæus* autem, & *Marcus* primo commemorant *Christi* contumelias, deinde Petri tentationem, de qua dicitur: *Et cum esset Petrus in atrio dorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis.* *Beda.* Quid autem sibi vult, quod prius eum prodit ancilla, cum viri utique eum magis potuerint recognoscere, nisi ut & iste sexus peccasse in necem videretur Domini, & iste sexus redimeretur per Domini passionem?

Sequitur: *At ille negavit dicens: Neque scio, neque novi quid dicas.* *Hieronymus* (super *Veni una ex ancillis.*) Petrus sine Spiritu voci ancillæ celsit, cum Spiritu nec Principibus, nec Regibus cedit. *Theophylactus* (ibid.) Hoc autem eum patri dispensative permisit Dominus, ne scilicet exolleret se; simulque ut peccantibus misericors ostendatur, tanquam ex seipso instructus humane infirmitatis eventum.

Sequitur: *Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.* *Beda* (super *Exiit foras.*) De hoc galli cantu ceteri Evangelistæ tacent; non tamen factum negant; sicut & multa alia silentio prætereunt quæ alii narrant.

Sequitur: *Rursum autem cum vidisset eum ancilla, cepit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est.* *Augustinus* de *Con. Evang.* (lib. 3. cap. 6.) Hæc ancilla non eadem, sed alia est, sicut dicit *Matthæus.* Sanè hoc quoque intelligitur, quia in secunda negotiatione à duobus compellatus est, ab ancilla scilicet, quæ commemorat *Matthæus*, & *Marcus*, & ab alio quem commemorat *Lucas.* Sequitur: *At ille iterum negavit.* Jam Petrus sederat, ut, quemadmodum dicit *Joannes*, ad focum stans iterum negaret; unde ancilla dicebat quod supra dictum est, non illi, scilicet Petro, sed his qui illo exeunte ibi remanserant; sic tamen ut ille audiret; unde rediens, & rursus ad ignem stans resistebat negando verbis eorum. Liquido enim colligitur collatis de hac re omnibus Evangelistarum testimoniis, non ante januam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem; *Matthæum* autem, & *Marcum*, qui commemoraverunt existisse eum foras, regressum ejus brevitatis causa tacuisse. *Beda* (super *Cum vidisset eum alia ancilla.*) In hac autem negotiatione Petri discimus non solum abnegari *Christum* ab eo qui dicit eum

non esse *Christum*; sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse *Christianum*: Dominus enim non ait Petro, discipulum meum te negabis, sed *Me negabis.* (1) Negavit ergo *Christum* cum se negavit ejus discipulam. Sequitur: *Et post pusillum rursum qui stabant dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es.* Non quod alia lingua *Galilæa* quam *Hierosolymita* loquerentur, qui utique fuerunt *Hæbrei*; sed quod unaquæque provincia, & regio suas habeat proprietates, ac vernaculum loquendi sonum vitare non possint. *Theophylactus* (non remote à fin. Comment.) Igitur timore Petrus perterritus, & Domini sermonem oblitus dicentis, *Matth. 10.* „Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:“ Dominum abnegavit: unde sequitur: *Ille autem cepit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum quem dicitis.* *Beda.* Quam noxia sunt pravorum consilia! Inter infideles hominem negavit se nosse quem inter discipulos Deum fuerat confessus. Solum autem Scriptura Sacra meritum causarum per statum designare temporum: unde Petrus, qui media nocte negavit, ad galli cantum penituit: unde subditur: *Et statim iterum gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quoddam dixit ei Jesus: Priusquam gallus canat bis, ter me negabis; & cepit flere.* *Theophylactus* (circ. fin. Comment.) Lachrymæ enim Petrum *Christo* per penitentiam adduxerunt. Confundantur itaque *Novatiani*, qui dicunt, quod qui post susceptionem baptismatis peccaverit, non suscipitur ut sibi delictum remittatur. Ecce enim Petrus, qui & *Christi* corpus sumpsit, & sanguinem, per penitentiam est susceptus. Etenim sanctorum defunctus propter hoc scripti sunt, ut & nos si per incautelam decidimus, recursum (2) habeamus per eorum exemplum, & speremus per penitentiam sublevari. *Hieronymus* (circ. fin. Comm.) Mystice autem prima ancilla, titubatio est, secunda confessio, tertius vitæ actus est. Hæc trina negatio, quam abluic per iterum verbi *Christi* recordatio. Tunc nobis gallus cantat quando prædicat quicquam penitentiam corda nostra ad compunctionem excitat; tunc incipimus herere quando ignitur intus per scintillam scientiæ; & foris eximus cum extra ejicimus quod intus sumus.

(1) Al. Neque ergo. (2) Al. haberemus. P. Nicolai legit habeamus ad eorum exemplum.